

cum hisce tenebris factū fuerit in terra Iudæo-  
rum, q̄ si fuisset Athenis. Hunc itaq; quando  
Valla dicit Athenis fuisse sine Authore loqui-  
tur. Nos, q̄ hic adserimus, stipati authore non  
pœnitēdo adseueramus. Et fieri potuit vt trā-  
siens hūc locū sanctū & Athenas veniens Pau-  
lus, Dionysius memor fuerit nō tam verborū  
Pauli quā & facti miraculosi. Nec Paulus mox  
post passionem Athenas petiit, immo post a-  
liquot annos illuc venit, q̄ non modo Apo-  
stolorum Acta testantur sed & epistola ad Ga-  
latas expresse comprobatur. De tenebris autem  
super vniuersam terram nolo hic plura disse-  
rere contra Origenem Adamantium. Sed nō  
videtur argumentum esse q̄ perpetuo subsi-  
stat, siq̄ dem ab auctoritate negatiue toto die  
Dialecticis clamantibus nihil stabiliri cōmo-  
de potest. Et miror in Valla homine tam na-  
suto, quod ab hoc loco topico nō in vno loco  
duntaxat hærere nō formidet. En donationē  
Constantini ea propter minime factam cre-  
dit, quod illius nec vno verbo meminerit Eu-  
tropius. Et hic illi respondeo: Christus visus  
est plus quam quingentis fratribus, vt est in  
priori epistola ad Corinth. c. 15. Huius non  
meminit Euangelium: ergo Euangelium ea  
propter corruat necesse est. absit. Sed vt con-  
tra Vallam directo pugnemus, nunquid non  
sub Alarico Rege Gothorum anno post vr-  
bem conditam M. C. LXIV. vrbs tota deruta  
est

*Paulus  
quando  
Athenas.*

*Tenebras  
patiente  
Christo.  
Origines.*

*Constanti-  
nidonatio.*